

SCRIPTA

Numéro Scripta : 7528

Auteur(s) : Philippe d'Harcourt, Bayeux (évêque)

Bénéficiaire(s) : Caen, Saint-Étienne (abbaye)

Genre d'acte : vidimus

Authenticité : non suspect

Datation : [1142-1163]

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Philippe de Harcourt confirme les donations faites à l'abbaye de Saint-Étienne de Caen par Odon Ier de Conteville, évêque de Bayeux, dont il cite et fait pleinement sienne la charte, donnée entre 1077 et 1079.

Tableau de la tradition

Original

A. Caen, Archives départementales du Calvados, H 1844 (1).

Éditions principales

a. Bourrienne Valentin (Abbé), *Un grand bâtisseur : Philippe de Harcourt, évêque de Bayeux (1142-1163)*, Paris, Naert, 1930, Pièces justificatives, n° I, p. 133-134.

b. Dupuy Hubert, *Recueil des actes des évêques de Bayeux antérieurs à 1205*, Thèse, École des Chartes, 1970, 2 vol. (dactyl.), n° 46, t. 1, p. 86-89.

Indications

Léchaudé d'Anisy Amédée-Louis, *Extrait des chartes et autres actes normands ou anglo-normands qui se trouvent dans les archives du Calvados*, Caen, Mancel (MSAN ; 7-8), 1834-1838, 2 vol., t. 1, p. 272-273. Davis Henry William Carles, *Regesta Regum Anglo-Normannorum, 1066-1154*, vol.1, Regesta Willelmi Conquestoris et Willelmi Rufi, 1066-1100, Oxford, Clarendon Press, 1913, n° 169, p. 46.

Dissertation critique

Datation proposée par H. Dupuy (DUPUY, *Recueil des actes des évêques de Bayeux*, t. 1, p. 86). Cf. « peut-être vers 1154 » est proposée par V. Bourrienne.

Texte établi d'après a

Antiquorum diligens providentia contra oblivionis incommodum repperisse dicitur remedium litterarum in quarum thesauris fideliter custodienda reponebat quecunque ad posteritatis notitiam absque ulla erroris nebula pervenire cupiebat. Hanc igitur providentiam secutus, ego Philippus, Deo donante Baiocensis episcopus, assensu capituli Baiocensis ecclesie, laudo, approbo et concedo quicquid bone memorie predecessor meus Odo, episcopus Baiocensis, dedit sive concessit ecclesie Beatissimi protomartiris Stephani, que sita est in Burgo Cadomi, in terris, decimis, consuetudinibus ecclesiasticis. Et quoniam hanc meam concessionem firmam inconcussamque cupio permanere, scripto decrevi memorieque commendare et sigilli mei suppositione roborare, ne possit aliquando

aut oblivione subtrahi, aut improborum hominum veritati contradicentium vexatione turbari. Ut autem manifestis clarescat inditiis que sint illa que concedo et confirmo, ex ipsius Odonis episcopi carta possunt evidentissime cognosci, quam, ut omnis ambiguitatis scrupulus auferatur, idoneum subscribere iudicavi.

« Notum sit omnibus christiane religionis cultoribus quod ego Odo, dispensante Deo Baiocensis ecclesie antistes, concedente capitulo nostro, dono et concedo cenobio quod a domino meo Willermo, Anglorum rege, Normannorum et Cenomannorum principe, in Burgo Cadomi, in honorem beatissimi protomartiris Stephani, constructum est, terras, decimas, consuetudines ecclesiasticas, de his solis ecclesiis, domibus, terris, que prefate abbacie date sunt ante dedicationem vel in dedicatione, et de eo quod habebat ipsa die, in Cadomo ; de toto Villario ; de tota terra quam Milo dedit filie sue Beatrici in conjugium Venuntio et de duodecim jugeribus terre quam emit abbas Lanfrancus in eodem Venuntio ; de pratis que vendidit Willelmus de Corcella predicto abbati de feodo meo ; de toto Ros, preter ecclesiam ; de toto Ceusio cum ecclesia ; de eo quod tenuit Grimaldus in Alamannia et in menbris ejus, scilicet Stavellis, Itio, Fobertfolia, Borgesbu ; de domo Rogerii, et dimidia acra terre de Hoga ; de eo quod tenuit Willelmus de Landa in Bratio et in Goesbervilla ; de toto Cadborgo ; de burgo Dive, cum antiqua capella, usque ad pontellum qui dividit Baiocensem episcopatum a Luxoviensi ; de silvis de Malo Pertuso, Tortavalle, Fologia, Caisneio, cum terris, et aquis, et ecclesiis que eisdem silvis pertinent ; de duobus molendinis in majori Burgo Cadomi ; de vinea cum domo vinitoris in Badvento ; de eo quod tenuit Ricardus Goiz in Ruscavilla ; de eo quod tenuit Willelmus Camerarius in Curleio, et de duodecim jugeribus terre quam Serlo monachus vendidit in eodem Curleio ; de eo quod tenuerunt Robertus Bertrannus et Rannulfus vicecomes in Brettevilla Orgoillosa ; de quatuor domibus in civitate Baioca : una scilicet que fuit Odonis capellani, et tribus Tetaldi quondam clerici Everemari ; de terra et domo Anschitilli Waraignonis in Hovetot ; de molendino uno super Leisam, cum dimidia acra terre et insula modica que eidem molendino proxima est ; de tota terra Rogerii Calvi de Bretevilla super Leisam, et de dimidia acra quam dedit Rogerius filius Hersent ; de tota terra Lovet, quam vendidit Lanfranco in Bilieto et Walmareto, cum parte ecclesie que ad ipsum pertinebat ; de terra etiam, que est unius carruce, quam vendidit Rodulfus, filius Constantini, in eodem ; de viginti jugeribus terre quam dedit Ascelinus de Abonevilla in eodem ; de terra Hugonis, que est unius carruce, et ecclesia Sancte Marie in Matrevilla ; de terra quam dedit Rodulfus, filius Herfredi, in Badvento ; et de quinque jugeribus terre quam dedit Serlo mariscalcus in eodem ; et de duodecim jugeribus terre quam donavit uxor Roberti Balistarii in Siccavilla ; de terra quam tenebat Hugo de Rosel in Grainvilla. De his, inquam, predictis de jure ecclesie Sancte Marie Baiocensis dono et concedo ista que hic determino, videlicet de omnibus in prefatis ecclesiis, domibus, terris, habitatoribus, omnium forisfacturarum de criminalibus peccatis, vel non criminalibus, proeduntium, pecuniam, et de ipsis omnibus habitatoribus de non criminalibus penitentie injunctionem. Addo etiam ut ex ipsis criminalibus, quocumque in prefatis ecclesiis, domibus, terris, audiri contigerint, ab archidiacono Baiocensi abbas vel prior cenobii predicti, non ipse super quo crimen auditum fuerit, moneatur, et ibidem ab utroque disposito termino, congruo ac prefixo die, convenient monachus et archidiaconus, et in ipsa parrochia, in qua crimen auditum fuerit, predictis presentibus inquiratur, inquisito discutatur, et discusso, si inde iudicium portandum prodierit vel cognitio peccati patuerit, Baiocensis ut decet ecclesia requiratur, vel causa examinationis, vel gratia consequende reconciliationis. De prefatis vero ecclesiis synodoticum debitum, et circatam, et in Pentecoste processiones, et alias ecclesiasticas consuetudines, et ut prescriptarum ecclesiarum clerici sic legitime statutis temporibus ad synodum veniant, ne sub aliqua occasione pecunia ab eis requiratur. Dono etiam et concedo consuetudinem plaustrorum que de Besatia ad Cadomum venalia ligna ferunt postquam intra leugam predicti Burgi intraverint ; censum et omnem consuetudinem omnium domorum ad Baiocensis ecclesie jus pertinentium que in Burgo monasterii site sunt ; duas partes decimarum de terris quas predictum cenobium habet in territorio Cadomi et Villarii ; Villariensem ecclesiam ; et ecclesiam Sancti Nicholai. Quicumque vero de majori Burgo, cujus sepulture ad jus episcopii Sancte Marie Baiocensis pertinent, in cimiterio prefati cenobii sepeliri petierit, liberrimam ex nostra concessione absque omni contradictione habeat potestatem ; si autem mortuum quis illuc transferre voluerit qui vivens non requisierit, hoc concedo fieri cum licentia tamen ministri mei. Pro qua mea donatione, ne quis eam successorum meorum quandoque valeat dissolvere, dedit dominus meus Willelmus, Anglorum rex, Normannorum et Cenomannorum princeps, in dedicatione, Sancte Marie Baiocensi, perpetuo jure possidendam, silvam quam Elam vocant, pro salute quoque anime sue, uxoris, parentum ac filiorum suorum. »